

36d

37
Ba

George Frederic
de Boortel

+

^{29.}
DISPUTATIO POLITICA 31
De
CONSILIARIIS,

Quam
Annuente D.T.O.M. per quem
Reges regnant, & consilarii iusta
decernunt.

Consentiente Amplissima Facultate Philosophicâ

*SUB PRÆSIDIO
VIRI CLARISSIMI*

Dn. M. VALENTINI CRÜGERI,
Philosophiæ Moral. Professoris Ordinarii, Fautoris
& Promotoris sui plurimum honorandi

*In Illustrissima Academia Viadrina publico
eruditorum examini subjicit*

HENRICUS HERMANNUS Gartman /
Wolfferbytanus-Saxo A. & R.

ad d. XV. Octobr. Anno M DC LIII.

In

Auditorio Philosophorum Majori horis consuetis.



Typis ERASMI RÖSNERI.

DISPUTATIO POLITICA

CONSILIARIS

Annuntio D. T. O. M. per quem

Reges regnant, & consilium iustis
decernunt.

Consensu Amplicissimi Facultatis Philosophicae

sub Praesidio

VIRI CLARISSIMI

Dr. M. VALENTINI CRÜGERI

Philosophiae Moral. Professoris Ordinarii, Tutoris
& Promotoris sui plurimum honorandi

In Illustri Academia Vindoburgensi

publico

HENRICI HERMANNI CRÜGERI

Wolffshyannus-2avo M. & R.

1745. Xv. Octobr. Anno M. DC. LXXV.

M.

Abbas Pöchlendorfer Monasterii



Typis P. J. Neumann



Pæclarè olim, Platonè in Theagete-
ste, Socrates dixit, Consilium rem esse sa-
cram, neq; divinius aliquid esse, quò de
quis consulere queat, quam de institutione
sui atq; suorum, in arte gubernatoria. Et
idem in *Alcibiade*: Hominis ars & scien-
tia gubernandi respublicas nulla alia dicitur, quam bo-
num consilium: bonum autem consilium id vocatur,
quod ad meliorem civitatis institutionem, salutemq;: ad
consensionem populi & tranquillitatem pertinet. Sanè
naturam consilii paullo penitius consideranti, facilè ap-
paret, nullum vivendi genus, quâ publicum, quâ priva-
tum eò vacare aut civilis felicitatis particeps esse posse,
nisi subinde salutaribus consiliis fulciatur. Enimverò,
non aliter servantur regna, Principatus, urbes, & dome-
sticæ societates, quam sanis & prudentibus consiliis. Sci-
tè Sallustius in orat. ad Cæsarem de republic. ordinanda
inquit: *Postquam mihi ætas ingeniumq; adolevit, haud fer-
mè armis atq; equis, corpus exercui, sed animum in literis, quod
natura firmitus erat, in laboribus habui. Atque ego in ea vitâ
multa legendo, atq; audiendo ita comperi, omnia regna, civi-
tates, nationes usq; eò prosperum imperium habuisse, dum apud
eos vera consilia valuerunt &c.* Nec dubium est, quin rei-
publ. prora & puppis in bonis consiliariis consistat, qui
vel labantem rempubl. suâ ope & prudentia sublevare, vel
florentem in suo vigore conservare sciant. Rectè Lam-
pridius in Alexandro Severo scribit: tutiorem esse sta-
tum publicum sub malo Principe, cui boni consilarii assi-
dent: quàm sub bono Principe, cui adsunt mali consilia-
rii. Quia unus malus potest per plures bonos emendari:
at plures mali ab uno bono superari nequeunt vid. Tho-
lozan. *lib. 24. de republ. cap. 1.* Instituenti ergò mihi pu-
blicum

blicum aliquod exercitium disputatorium proponere, præ cæteris præstantissima illa de consiliariis materia, digna vita est, in qua nunc ingenii mei vires experirer. Quare quæ de ea pro tenuitate mea conscripsi, placido eruditorum examini nunc subjicio, & imploratô divini Numinis auxiliô, pono

THE S. I.

Princeps in republica opus habet consiliariis, quos antequam res arduas aggrediatur, in consilium adhibere, & iis ad meliorem sui informationem uti possit.

ET si testê Ciceronê *lib. 1. offic.* omnis ratio & institutio vitæ adjumenta hominum desideret: Gubernatoria tamen vel maximè aliorum opem poscit. Hæc enim inprimis ardua valdeque periculosa est. Unde illius naturam paulò penitius inspicienti facilè apparet, ejus esse generis, ut unius mens tantæ molis capax esse nequeat. Enimverò existunt adeò multi variique casus, tantæ rerum difficultates, tamque diversa scele- rum & periculorum genera se Principi offerunt, ut ea omnia si vel Argus aut Lynceus sit, cognoscere & dijudicare minimè possit. Hac de causa Tiberius olim, cum ei à populo Romano fasces Imperii deferrentur, in hæc prorupisse verba fertur: *In partem curarum ab Augusto vocatus, experiendo didici, quàm arduum sit, quàm subjectum fortune regendi cuncta onus.* Tacitus *1. Annal. cap. 2.* Diocletianus quoque propterea Imperium deposuit, quod parum se idoneum ei moderando sentiret. *Eutrop. lib. 9.* Cum igitur Princeps suâ scientia cuncta complecti nequeat, magna que alias sit humanæ naturæ imbecillitas, quæ nisi prudentum subinde consiliis gubernetur, non possit non quandoque cespitare, errare & decipi, idque in republ. agendum suscipere, quod in ipsam ejus perniciem vergat, hinc meritò cordatus Princeps in partem curarum
assumat

assumat etiam alios, certò persuasus, magna negotia magnis ad-
jutoribus egere, quorum prudentiâ, testantê *Aristotelê lib. 5. Polit.*
cap. 11. regnum custoditur & conservatur. Tametsi verò Prin-
ceps aliquando satis rerum sit peritus: tantaque prudentiâ instru-
ctus, ut vel perspicacissimum vincat: attamen ne sic quidem,
ipsum amor sui & nimix sapientiæ opinio adeò inflet & occæcet:
ut proinde spretis aliorum consiliis, omnia solus gubernare præ-
sumat. Quin potius sibi & reipubl. securitati consulat, tutiusq;
imperabit, si non nimium suæ fidens prudentiæ, etiam aliorum, de
suis actionibus judicia exquirat. Sapienter Vir summus *Lipsius*
in civili doctrina *lib. 3. cap. 2.* ait, Thales mihi si volet, Rex esto,
tamen si de sua unius sententiâ omnia geret, superbum hunc ju-
dicabo magis quàm sapientem. *Vellejus Paterc. lib. 11,* inquit, Ra-
rò eminentes viros non magnis adjutoribus ad gubernandam for-
tunam suam esse usos. Sanè & ipse Salomon, quò tamen ne-
mo inter mortales sapientior vixit, consiliariis usus dicitur *1.*
Reg. 2. Et Imperator quoq; Theodosius cum jam morti vicinus,
Stiliconi & Ruffino filios suos commendaret, hanc admonitio-
nem subjunxit: Tibi Stilico & Tibi Ruffine, vobis inquam fidis
ministris, filios meos commendo charissimos. Cæterùm unicum
tantum vos moneo, unicum à vobis peto, unicum oro, unicum
vobis mando, ne scilicet cogitationem suscipiatis de ampliandis
filiorum meorum regnis & ditionibus, sed huc studium omne con-
feratis ut bonos ministros eis adjungatis. Ego enim non aliâ ratio-
ne quàm quod viros semper circa me virtute sapientiæq; insignes
habui, tot tantaq; regna adeptus sum & conservavi. Etenim in-
gens bonum est habere Principem Duces in bello strenuos, sed
longè majus est bonum in aula viros habere sapientes *Guevarr.*
Horolog. Princ. lib. 1. cap. 44. Ita etiam Alexander Mameæ filius,
cum ad imperium eveheretur, elegit in consilium sedecim viros,
ætate grandes, & puritate vitæ præcellentes, optime videns, ex-
pedire Principi & reipubl. probos deligere consiliarios *Herodian.*
lib. 6. Si enim in rebus privatis cum dubia nobis sese offerunt,
amicos consulimus, quantò magis hoc necessarium est in republ.
ubi multò majora & graviora oriuntur. Princeps ergò multos
sibi

sibi faciat oculos & aures, manus & pedes, ac imperio & sibi amicos socios comparet. *Aristot. 3. Pol. 12.* Cum summæ majestatis sit, non tam exercitû septum esse, & satellitii ac habitationis splendore gloriari, quam sapientissimorum virorum prudentiam suam facere *Adam Contz. lib. 7. Polit. cap. 13.* Proinde non audiendus *Machiavellus*, qui *lib. de Princ. cap. 23.* affirmare audet, magistratus ac Principes in tam variis negotiis satis esse ad omnia perspicaces, ita quidem ut nullibi errent aut labentur.

THE S. II.

Sit autem Princeps in eligendis consiliariis cautus & circumspectus (a) ac præcipuè respiciat ad ætatem (b) doctrinam (c) & mores (d) eorum, quos in numerum consiliariorum recipere velit.

(a) Princeps in consilium non adhibeat multos extraneos. Hinc enim turbæ & seditiones inter subditos oriuntur, qui graviter ferunt, plus credi aut tribui peregrinis quàm sibi: unde tandem odium, nimium libertatis studium, aversio animorum & conjurationes contra Principes excitantur. Sunt etiam peregrini plerumque, & indolis subditorum, & totius reipublic. imperiti, ad consilium autem dandum caput est, nosse rempubl. *Cicer. 2. de Orat.* Et in omnibus unicum principium iis, qui benè consulere volunt, est, intelligere id, de quò bene consulatur. *Arnif. 1. Polit. 15. ex Plat. in Phæd.* nemo enim benè judicare, nec bonum consilium dare potest de iis rebus, quarum experientiam non habet. Jam autem manifestissimum est, quemlibet mores, naturas, virtutes & vitia, familiam, bene merita & malefacta hominû, commoditates ac difficultates terræ perfectius nosse in qua republ. nascitur & educatur, quàm extraneos. Adeoq; ut maximè omnem omnium rerum peritiam externo dederis, vix dabis dexteritatem & applicationis felicitatem. *Kirchner. lib. 3. de officio & dignit. Cancell. cap. 4.* Licet quoq; exteri peritiam aliquam reipubl. habeant: tamè in his quàm in aliis metuendum magis est, ne ad commodum
suum

suum & arbitrium Principis plerumque consilia suā referant: nec
utilitatem publicam, quæ tamen meritò privatæ anteponenda est,
sibi curæ cordique habeant: nam curiæ limen intrantes, abje-
ctâ privatâ charitate publicam induere debent juxta *Val. Max.*
lib. 2. cap. 2. Quare Princeps stipatus consiliariis indigenis, me-
lius ac commodius difficultatibus mederi & consulere Reipubl.
poterit. Comparet ergò sibi bonos consiliarios, veridicos sci-
licet & prudentes seu rectè consulentes & ingenii subditorum,
provinciaeque gnaros. *Tholozan. lib. 10. de republ. cap. 3. & lib. 22.*
cap. 11. Veruntamen non in eam partem hæc accipi velim, quasi
putem promiscuè omnes extraneos excludendos esse, nihil enim
impedit, quò minus Princeps unum atque alterum fide & ingenio
perspectum ac cognitum in consilium admittat, modò hic fugiat
excessum, ne multos recipiat, & indigenas temerè excludat. (b)
Non etiam hîc admittendi sunt nimium juvenes, cum enim eos re-
pellat *Aristot. l. 1. Eth. c. 3.* à studio Ethices, quantò magis repelli eos
convenit à republ. Sunt ii plerumque temerarii, cum temeri-
tas sit florentis ætatis, prudentia senectutis, *Cicer. de Senect.* nec
actionum vitæ peritiā habent, & quia adhuc in lubrica ætate
constituti, nondum confirmato sunt judicio, affectibusque plus
æquo indulgent, ut ita prudentiorum consiliis ipsi opus habe-
ant. Nec possunt Juvenes esse prudentes, quia prudentia requi-
rit experientiam, quæ indiget tempore & longitudo temporis fa-
cit experientiam *Aristot. 6. Eth. 8.* Unde etiam Antiochus apud
Homerum iliad. 4. Menelaum sic alloquitur: Patere nunc, nam
multò ego junior sum te Rex Menelæe, tu verò major natu & me-
lior scis, quales viri juvenis operationes sint, velox quidem, sed
tenue ac imbecille consilium. Deinde non adeò magnam obti-
nent auctoritatem, quæ tamen ad jubendum & suadendum plu-
rimum juvat. Concepta enim de aliquò virò opinio, plebem ma-
gis movet, quàm res, aut ratio ipsa. *Lipsius in notis ad lib. 3. civil.*
doctr. cap. 6. In consilium igitur adhibendi potius senes propter
rerum experientiam, & quæ inde emanat, rerum usum & periti-
am. Rectè *Euripides in Bellerophonte.* Manus quidem juveniles
ad agendum robustæ sunt, seniorum autem sententiæ sapientiā
præstant: tempus enim multam & variam doctrinam parit. Hinc
etiam

etiam M. Aurelius in fata concessurus, filium suum admonuit his
verbis: Viros tibi, fili, relinquo experientes & natu grandes, quos
consiliorum & laborum socios habeas. Nihil enim principi ho-
nestius, quam senum gaudere comitatū, tales enim & domini di-
gnitatem, & domus auctoritatem decorant *Guevar. lib. 3. Horol.*
Princ. cap. 58. Non tamen omnes senes apti huic consilio, sed illi
solum qui sapientes, & in rebus gerendis optimè exercitati. Sic-
uti nec omnes juvenes planè hic sunt semovendi. Etenim li-
cet *seris veniat usus ab annis, Ovid. 6. Metam.* nec ingenium, vel re-
rum prudentia velox ante pilos veniat, ut habet *Persius Satyra 4.* ta-
men si virtus eorum supergressa ætatem & aliquid senile ætatem
prudentiã suppleat (uti exempla hujus, historiæ suppeditant quam-
plurima) quid eos admittere prohibet? cum hoc in casu ab ex-
cellenti eximiaque virtutè progressus ætatis expectari non debeat.
Cic. 5. Philipp. Non erit igitur adeò inconueniens, senibus ali-
quos probos juvenes adjungere, cum ut eorum consuetudine ju-
diciū confirmet, tum ut semper ad manum sint, qui in locum
defunctorum succedant, atque adeò ad similitudinem antecesso-
rum dicere, facere & consulere sciant. Expedi enim juxta anno-
sas arbores, novas inserere plantas, qui post interitum verustarum
in locum earum succedant. *Tholof. l. 24. de republ. c. 6. (c)* Debet
futurus consiliarius exquisitam doctrinam sibi comparasse, & præ-
cipuè Jurisprudentiæ & historiæ scientiã imbutus esse: nam hæc
ad publicas deliberationes valdè est utilis, testantè *Arist. 1. Rhet. 4.*
Sit insuper civilis prudentiæ gnarus, ut varias rerum publ. formas
norit distinguere, earumque causas conservantes & corruppen-
tes non ignoret. Oportet igitur eum maximè prudentiã pollere,
idque eò magis, quod hujus sit, deficientem Principis prudenti-
am excipere & supplere. *Arnis. 1. Polit. 15.* Non abs re volunt
etiam alii consiliarios utriusque fortunæ gnaros esse. Appositè qui-
dem de se Mithridates apud Salust. in Fragm. *Mihi fortuna multis*
rebus ereptis, usum dedit bene suadendi. Volunt eos etiam esse quidem
acutos sed non nimium: citant nempe in hanc sententiam illud
Thucid. III. Hebetiores, quam acutiores, ut plurimum, melius rem-
publ. administrant. Causa hujus est, quia subtilia illa & ignea inge-
nia in assiduo motu, novandis quam gerendis rebus sunt aptiora. Ge-
mella

mella hisce legere est apud Barclajum *in Icone Animorum*. Inter mores, quibus consiliarum ornatum esse decet, meritò eminet & principem sibi vindicat locum pietas, quæ est fundamentum ac caput omnium virtutum. Ubiq; igitur divina virtus non cooperatur studiis humanis, ibi omnia consilia nostra irrita, imò vana sunt. Pietate enim omnia humana rectè gubernantur, qui vero absque Deo in unum conveniunt, meditantur inania *Adam Contz. lib. 7. Pol. 13.* Quare in minimis quoq; rebus divinum auxilium implorari debet, ac invocandus omnium rerum pater, quò prætermisso, nullum ritè fundatur exordium *Boëth. lib. de consol. Philosoph.* Secundò locò in iis commendatur modestia, modestè se habere ac gerere, & Principis aut Regis, quoad ejus fieri potest, negotia promovere debet is, qui consiliarium agere & servire Regibus decrevit. *Vid. Lipsius lib. 3. civil. doct. cap. 5.* Hæc cum ita se habeant, non minus verè quàm prudenter *Gvevarra lib. 1. c. 43. herol. Princ.* scribit: Attendere Principes diligentissimè debent, quibus regnorum administrationem credant, quibus exercitus committant, quos legatos mittant ad externos, quibus exactorem & custodiam concedant vectigalium: tamen multò accuratius spectent, & examinent oportet, quos sibi familiares & consiliarios eligant.

THE S. III.

Officium (a) consiliariorum in eo consistit, ut hi Principi vel Magistratui (b) suggerant consilia, tam sibi ipsis quàm toti reipublicæ salutaria.

(a) Consiliariorum est de rebus agendis constituere, quæ mala oriri, & quibus modis repelli possint, prænunciare ac ita Principi bonis suis consiliis succurrere. Bonum autem & salubre consilium, ut supra innuimus, hoc vocatur, quod ad meliorem civitatis institutionem salutemque, ad consensionem populi & tranquillitatem pertinet, ac ad finem utilitatis publicæ dirigitur. *Tholoz. lib. 24. de republ. c. 1.* In dando ergò consilio respicere debent

B

bent

bent ad bonum publicum, ac pro eò potius privata tolerant incommoda. Nunquam enim is dabit sanum Principi consilium, qui privatam in consulendo spectat emolumentum, nam privatarum rerum respectus semper officit officietque publicis consiliis *Livius lib. 22.* Absint ergò ea consilia, quæ bonum publicum privatis commodis impediunt, cum non unius, sed universorum salus sit consideranda. Unde rectè *Cicero in orat. pro Rabirio* inquit: Boni consulis est ferre opem patriæ, succurrete salutis fortunisque communibus & suam salutem posteriorem communi salute ducere. Non tantum autem consilio, sed re quoque cum potest, juvet Principem, is enim verè amicus est, qui in rebus dubiis, re juvat, cum opus est. Et qui consilium adfert, illum opem quoque in eam rem afferreæ quum est. *Liv. lib. 25.* (b) Etiam si verò consilarii summo Magistratui consilia suggerant, idcirco tamen non sequitur, eps quoque magistratus propriè loquendo, esse vel dici posse. Habent etenim ipsi potestatem tantum deliberandi & suadendi, non verò imperandi: sunt, proinde Imperantium officiales, de rebus communibus consultantes *Vid. Cellar. 2. Polit. 9. n. 8.* Interrogantur igitur consilarii ut sententiam dicant, non ut statuant aut imperent. Quare ita sentiant, se munere suo functos, si quæ videantur meliora, protulerint, conclusionem verò negotii non esse suarum, sed principalium partium *Tholof. lib. 24. de republ. c. 6. n. 5. & c. 8. n. 4.*

T H E S. IV.

In ipso consulationis actu consiliarius omnes affectus (a) deponat; studium assentandi (b) & discordiam (c) vitet, nec sententia sua nimis tenaciter (d) adhareat, aut aliorum contradicat, sed melioribus & salubrioribus consiliis aliorum lubens cedat.

(a) Meritò hinc sunt ablegandi affectus, ab illis enim omnes qui de rebus dubiis consultant, vacuos esse decet. Enimverò ubi affectus officiant, haut facile animus verum providet. Imprimis autem

tem

tem vitanda est ira, quæ rectæ rationis lumen usq; adeo obfuscat, ut, qui ei habenas laxat, nihil rectè, nihil consideratè facere, aut de rebus majoris momenti debitè consultare queat: est enim ira pessimus consultor. *Salust. in bello Jugurth. & malè cuncta ministrat impetus, Staius.* Procul hinc igitur procul ira recedat, quæ turbat sapientis animum. Deinde abesse debet odium, quod magnos in pectoribus humanis excitat fluctus *Valer. Maxim. lib. 9. c. 3.* & multos in maximas discordias egit. Quare in consultationibus neq; gratia, neq; odia spectanda, nam amor, odium & proprium commodum sæpè faciunt judicem non cognoscere verum *Aristot. 1. Rhetor.* (b) Inprimis cane & angue pejus Princeps fugiat adulatores, qui se quorumlibet moribus ita accommodare sciunt, ut Polypus quibuslibet locis. Etenim vitam potius quis ageret inter corvos quàm inter hos, quippe qui mortuis tantùm oculos eruunt, hi verò & vivos devorant homines. Hi enim sunt illi delatores perniciosissimi, & omnibus non modò rebus publ. paci; & concordia illarum, sed & privatis hominibus summoperè noxii, concitantes Principes ex levi causa in subditos, & subditos in rebellionem armantes *Tholoz. lib. 8. de republ. cap. 7. n. 6.* Hi sunt inquam illi, qui multos in periculum vitæ & famæ deducunt, injustè apud principes, Magistratus & iudices deferunt, ut modò gratiam ab illis ineant. Hisce itaq; adulatoribus uti, iisque aures patefacere, propter falsas eorum relationes & imposturas, quibus in animum Principis influunt, nulla capitalior pestis reipublicæ est. Unde eleganter Guevarra in *horol. Princip. lib. 1. cap. 37.* inquit: *Necessarium esse affirmo, ut susurrone Princeps agnoscat, ut nunquam illis credat, & veritatis amatores ut hos semper diligat. Nemo enim bono Principi equè familiaris esse debet atq; vir sapiens, & verax, nemo equè contemptus ac invisus atq; execrabilis quàm homo mendax.* Optandum quidem esset, non dari etiamnum Iudices, qui non tantùm quibuslibet delationibus commoveantur, & iis sine probatione credant, nec antequam rei veritatem exquirant, multos inauditos iniquè damnent, triti & celeberrimi illius dicti prorsus obliti: *audiatur & altera pars.* Sed detestandi imprimis & fugiendi præ aliis Principi illi consilarii sunt, quibus omnia Prin-

5
cipum facta tam honesta quam in honesta laudare, & quocunque adulationis genere eorum animum depravare mos est. Rectè quidem de ejusmodi Carcinomatis Adam Contz. *lib. 7. Pol. 13. Medicum si semel venenum miscuerit, semper averſaris, consiliarium si aliquando tua vitia laudando, vel virtutes supra verum extollendo delinquat, ad secundum consilium non admittas multò minus solos adultores audias.* Nec inconvenienter, teste Tacitò *lib. 3. Annal. c. 65.* Tiberius eos nominavit *homines ad servitutem paratos*, optimè cognitum perspectumque habens, adulationi foedum crimen servitutis, malignitati falsam speciem libertatis inesse Tacit. *1. Histor. cap. 1.*
(c) Sicuti ad stabiliendam & conservandam rempublicam nihil firmitus, nihil tutius est concordia, quàm commune periculum propulsatur: Tacit. *in vita Agricol. c. 29.* ita ad eam mutandam & everendam nihil est validius, nihil efficacius discordia, quæ extremum rectè dicitur esse malum Tacit. *4. Annal. c. 49.* Discordia enim rectè dicitur compagum reipubl. solutio, concordia verò nutritrix benevolentia & amoris, atq; vinculum societatis arctissimum. *Althuf. cap. 31. Pol. n. 2.* Discordia ergò inter consiliarios est pernicioſa semper, quæ ipsos litigantes una cum republ. in maxima præcipitat pericula. (d) Consiliarius perceptis aliorum sententiis & consiliis, si meliora appareant, lubens volensq; ea admittat, nec alieno sit inimicus, is enim laudandus, qui se minus aliò vidisse confitetur, & probi magniq; viri partes sunt, non tantùm in illis quæ non caller, sed etiam in iis, in quibus alius ipso sapientior est, peritorum se sententiæ submittere. Nec levitas est, inquit Adam Contz. *malum in bonum, bonum in melius commutare, nec ullus fidelior ad consilium dandum esse potest eò, qui suâ sententiâ abdicatâ, alienam approbat. lib. 7. Politic. cap. 13.* Quare absint illi, qui naturâ adeò sunt pugnaces, ut in amoribus habeant aliorum sententiis etiam præter necessitatem contradicere, & consilii quamvis egregii, quod non ipsi attulêre, sint planè inimici, & adversus peritos pervicaces. Tacit. *1. Hist. c. 26.* Hi quidem rectè dicuntur aliis bis esse stulti: sive quod omnes sapere volunt ex suo ore: sive quod, si quid authoritatis in ipsis est, crebris contradictionibus destruunt.

THE-

T H E S. V.

*Absit quoq; a consiliario quàm longissimè infamia
(a) avaritia (b) temeraria audacia, seu ni-
mia confidentia, (c)*

(a) In aula Principum nec ferendi, nec inter primores ministros admittendi sunt infames. Non enim potest omnî culpâ & reprehensione vacare Princeps, quando in Regia inter familiares retinet aliquem publicâ notatum infamiâ *Guevar. lib. 1. c. 44. horol. Princ.* Sicuti autem nullum majus bonæ mentis indicium Princeps ostendere potest, quàm si adjungat sibi viros virtute & famâ præstantes, quorum quotidianâ conversatione utatur: ita nullum majus argumentum perversæ mentis edere potest, quàm si recipiat viros famâ laborantes, vel notoriè improbos. Deducorant enim principem ejusmodi infamis vitæ consilarii, nam eos inter amicos admittendo, videtur eorum vitam probare, parumque suæ existimationis curam gerere *Tholoz. lib. 24. de republ. c. 6. num. 12.* Non decet igitur Principem bonum palàm flagitiosos in consiliariorum habere numero, quale enim est in aula & Senatu Principis sodalitium, talis erit etiam apud subditos ejus existimatio. *Guevarr. lib. 1. cap. 44. horol. Princip.* (b) *Pessimum veri affectus & judicii venenum sua cuiq; utilitas. Tacit. 1. Histor.* Et huic tamen pleriquè hominum obnoxii: sed Mercurii proles maximè, ut loquitur *Lipsius lib. 3. Pol.* Thebanorum lex olim vetuit, eum admoveri gubernationi reipubl. qui decem annos a commercio non abstinuisset *Aristot. 3. Pol. 3.* Sed ubi hæc insatiabilis habendi cupido dominatur, ibi omnia in pejus rure necesse est. Nihil enim reperitur tam sanctum & solenne, quod ea pestis non comminuere & violare soleat. *Cicer. pro Quint.* Hæc est illa bellua, fera immanis, intoleranda, quæ quò vadit, omnia vastat, divina cum humanis commiscens: cui neque exercitus, neque mœnia obstant, quò minus vi suâ penetret *Salust. orat. 2. ad Cesar. de republ. ordin.* Hæc rectoribus ansam præbet subversionis status publici, & Principatus, vel magnas in eo excitat mutationes tragicas



Tholoz. lib. 22. de repub. cap. 12. n. 1. Præterea hæc bestia nunquam sola est, sed plerumq; secum ducit comites rapinam, perjurium, mendacium, prodicionem, à quibus probum consiliarium quàm longissimè distare par est. Eleganter canit *Juvenal. Satyr. 14.*

Inde ferè scelerum causæ, nec plura venena
Miscuit, aut ferro grassatur sæpius ullum.
Humanæ mentis vitium: quàm sæva cupido
indomiti census, nam dives qui fieri vult
Et citò vult fieri. Sed quæ reverentia legum
Qui metus aut pudor est unquam properantis avari.

Ideoquè cum nullum vitium detestabilius sit avaritiâ, præsertim in Principibus rempubl. gubernantibus, meritò hîc consiliarius sibi caveat, ne tetra ista lues mentem suam occupet. Tamdiu enim ea civitas, & id regnum æterno in gradu facile stetit, ubi minimum virium Veneris, pecuniæq; cupido sibi vendicaverit. Nam quò istæ generis humanæ certissimæ pestes penetraverint, ibi injuria dominatur, infamia flagrat. *Valer. Max. lib. 4. cap. 3.* (c) Consilia audacia ad mutandas res, quàm eas conservandas proniora sunt. Præstat igitur habere consiliarium nimis cautum, quàm audacem, quia potentia Principis cautis magis quam acrioribus consiliis tutius habetur *Tacit. 11. Annal. cap. 29.* Rectè etiam *Lipsius in notis ad c. 7 lib. 3. Pol.* Fiducia valde noxia est in consiliis, quia suas alienasq; vires parùm librat, & eventus omnes aptat ad sua vota. Verùm quanquam hæc sese ita habeant, ut non dubitandum sit, quin nimis cautum quàm audacem esse, melius sit, attamen, non semper audacia consilia sunt improbanda, præsertim ubi subitum discrimen sese offert, utiliter & necessariò ea adhibenda, quia cunctatione ibi non est opus, ubi perniciosior est quies, quam temeritas *Tac. 1. Hist. c. 21.*

THE S. VI.

Finitâ consultatione consiliarij præstent silentium,
(a) ament constantiam (b) & præsentiam ani-
mi in rebus peragendis. Celeriter enim delibe-
rata

rata peragenda sunt, deliberandum autem tarde. Aristot. 6. Eth. 9.

(a) Cum taciturnitas, teste *Valer. Max.* optimum, atque tutissimum rerum administrandarum vinculum sit: maximè consiliario opus est taciturnitate. Ne quid scilicet arcani temere effu-
tiat, vel amicis & familiaribus committat. Rectè *Curtius lib. 4.*
Non res magnæ sustineri possunt ab eò cui tacere grave est. Et cum con-
siliarii Principis, pars sint corporis ejus *l. qui quis C. ad L. Jul. Ma-*
jest. non nisi cum voce Principis voluntatem & mentem ejus ex-
ponere debent. Imitentur ergò hâc in parte Papyrium, qui ob
taciturnitatem eorum, quæ in Senatu proponebantur, adhuc puer
prætextâ à Senatu Rom. donatus est, uti refert *Gell. in noctib. Attic.*
lib. 1. c. 23. Optimè *Lipsius in civil. Doctr.* inquit: Arcani sint con-
siliarii, nec tamen arcanorum (salubriter moneo) scrutatores.
Quia *abditos Principis sensus si quid occultius parat, exquirere illicitum,*
anceps, nec idèò assequare. *Tacit. 3. Annal.* (b) Secundò peractâ
consultatione requiritur in consiliario constantia, nam crebra vo-
luntatis mutatio certum & indubitatum signum est inconstantis &
fluctuantis mentis. Illaudati verò illi, qui ex aliena libidine huc il-
luc fluctuantes agitantur: interdum alia, deinde alia decernunt, uti
eorum qui dominantur simultas atq; arrogantia fert, ita bonum malum-
que publicum existimant. *Sallust. ad Cæsar.* Nihil igitur est quod
tam deceat, quàm in re gerendâ, consilioque capiendò, servare
constantiam. *Cic. 1. offic.* Verùm cavendum ne hîc sub specie
constantia insinuet se pertinacia, consilia enim ad eventus & tem-
pora sunt accommodanda, ac sæpè invertenda. Sit ergò constan-
tia ista semper conjuncta cum prudentiâ & rei veritate. Ideoque
consiliario hic levitatis nota non est timenda, si primâ vice rem nò
retigerit, melius assumere consilium, ac cum re mutare, præsertim si
aliquid supervenerit; quod causam ipsam mutet, cum nemo do-
ctus mutationem consilii in melius, inconstantiam dixerit *Cic. lib.*
16. ep. 7. ad Att. & idem in ep. 9. lib. 1. ad famil. ait: Nunquam præ-
stantibus in republ. gubernanda viris laudata est in una sententia perpe-
tua permansio. Sed ut in navigando tempestati obsequi artis est, etiam-
si portum

si porrum tenere nequeas: cum verò id possis mutatà velificatione assequi, stultum est eum tenere cum periculo cursum, quem ceperis potius quàm eò commutato, quò velis, tandem pervenire: Sic cum omnibus nobis in administranda republ. propositum esse debeat, id quod à me sepius dictum est, cum dignitate otium: Non idem semper dicere sed idem semper spectare debemus.

THE S. VII.

Consideratis potissimis boni consiliarij requisitis, res monet (a) ut porrò dispiciamus de ipsius Magistratus seu Principis erga consiliarios officio.

(a) Non sufficit rectè consulere, nisi recta consilia Princeps amplectatur. Rectè Lipsius: frustra sunt idonei (consilarii,) si non & ipse Princeps: & perierit omnis salubrium consiliorum liquor, nisi aptum velut vas sit, in quod instillet.

THE S. IIX.

Ut autem consiliarij eò rectius in medium consulere possint, Princeps eos tempestivè & maturè in consilium adhibeat, ne consultatio, nisi summà urgente necessitate, precipitetur. (a) Interim & eò spectet, ne inutili cunctatione agendi deliberando perdat tempus Tacit. 3. Hist. c. 40.

(a) Bonis ac salutaribus consiliis nihil tam inimicum, nihil tam adversum atq; noxium quàm ipsa præcipitantia, quam multa quotidie damna comitantur Guevar. lib. 1. Horol. Princ. c. 46. Omnia non properanti clara certa que sunt, festinatio improvida est & cæca Liv. lib. 22. Non sit ergò consilium præcipitatum, sed deliberatum & mature expensum ac agitur, maximè dum agitur de instituenda, conservanda & defendenda republ. negotiisq; ejus gravioribus belli aut pacis. Tholoz. lib. 24. de republ. c. 2. n. 3. Est proinde in consultatione semper tutior cunctatio celeritate, quia præcipi-

præcipitantiam plerumque sequitur pœnitentia, & præcipitata consilia neq; revocari, nec in integrum restitui possunt *Liv. lib. 31.* Et rectè Peucerus *in lection. Chron. inquit: In cunctatione, multa insunt bona; quæ etiamsi non primâ fronte apparent, tamen progressu temporis percipiuntur.* Quare cum juxta Senecam *in epist. magna in republ. momenta sint temporum, & multum interfit, utrum idem illud ante, an post decernatur, suscipiatur, agatur,* Princeps maturè consulat, ut prius omnia ponderentur in utramq; partem, quæ possunt in gravissima aliqua causa dubia oriri, ne præcipitata sint consilia, qualia gladiatores capiunt in arena. *M. Fabii cunctatio vicit Annibalem Plutarch. in vita Fabii Max.* Nocet tamen cunctatio nimia, si ea non temperetur consilio, & si sit necessitas accelerandi *Tholoz. lib. 24. de republ. c. 2. n. 3.*

THESIS. IX.

Imprimis concedat Princeps consiliariis libertatem

(a) judicandi, consulendi, dicendi, æquo animo ferens eorum παρρησίαν, eum in finem ne veritas reticeatur.

(a) Perdita sine dubio ejus Principis salus est, qui consiliarios, ne, quod sentiunt, ingenuè dicant, vel metu vel auro, vel honore abducit, atque ita curiam elinguem habet, ut Plinius in Panegyrico inquit, in quâ dicere quod velles, periculosum, quod nolles, miserimum est. Quemadmodum autem absynthium nomen omne amittit, si amaritudinem tollas: sic oratio, si libertatem loquendi amittat. *Stob. serm. 11.* Et quid rectum profisci possit ab eo, qui linguam frenat ad nutum sui Principis *Schönb. lib. 3. cap. 24. Pol.* Rectè Theopompus percunctanti quæ optima ratio regni servandi esset? respondit: si justam dicendi libertatem Princeps amicis permittat, nam periit Rex, cui bona consilia dare periculosum est. *Adam Contz. lib. 7. Polit. cap. 13.* Magistratus igitur seu Princeps omnibus nunquam non suis consiliariis facultatem liberè & aperte sine veritatis occultatione aut suppressione sententiam suam dicendi concedat, omnesq; ex æquo & ordine audiat ubi enim libertas dicendi non conceditur, ibi judicia sunt vincula, vota ligata, & metus animorum
C sensa

sensa claudit, ubi autem hæc sunt, ibi salutare consilium rarum esse so-
let. Hoënius disp. Pol. 4.

THES. X.

Princeps consultationibus ipse (a) interfit, nec cui-
am ex consiliariis sententiæ eius justa de causâ
refraganti (b) irascatur.

(a) Prudenter nostro iudicio, Tholoz. lib. XXIV. de republ.
C. III. inquit: Postremum & maximum commodum accedit ex
consilio principi cui interesse debet, quia per consilia fit pruden-
tior & sapientior, quamvis antea fuerit stupidus aut rudis intractan-
dis administrationibus. Siquidem ex assiduitate consiliorum, & con-
suetudine agitationis rationis in dirimendis controversiis & nego-
tiis decernendis, tanquam in schola peritorum brevi efficitur pe-
ritus & cautior, detegitque insuper multorum animos. Dehinc
cum ipse conciliis suorum assessorum sæpius interfuerit, impro-
bi & corrupti consilarii si qui adsint, in eius præsentia minus au-
debunt, melius consulent, factiones quæ solent ibi fieri, cessabunt.
Et boni consilarii & docti, eo præsentem, conabuntur fidelius & di-
ligentius negotia discutere, ut maximè in arduis, suæ integritatis
ei certius exhibeant specimen. Hæc ille. Hanc Tholosani sententi-
am non improbat Liebenthal. Sed addit: nisi tales sint causæ,
quæ in conspectu principis minus liberè examinentur. Istis enim
se subducere & consiliariis liberam potestatem consulendi relin-
quere potest in colleg. Polit. exerc. II. q. 8. (b) Inscienter, inquit
Cominæus lib. 9. comment. faciunt Principes ac inconsultè quan-
do suam privatam sententiam multis iudiciis anteferunt. Dicit e-
nim non potest, quantum sæpe malorum inde proveniat. Nec
minus rectè inquit Tholoz. de republ. lib. 10. c. 3. num. 7. & c. 8. n. 4.
Sapientis & prudentis Principis existimatur consiliis, etiam adver-
santibus suæ sententiæ potius deferre in dubiis, quam suæ opinio-
ni, si consulentum animos perspectos habeat, quod sint fidi amici
& prudentes. Digna itaq; Imperatoris Majestate vox illa M. An-
tonini dicentis: Æquius est ut ego tot taliumque amicorum viro-
rum consilia sequar, quam ut tot talesque amici meam unius vo-
luntatem. Vegetius lib. III.

THES.

THE S. XI.

*Princeps porro à suis consiliariis se abripi non patia-
tur, nec uni ita sit addictus aut obnoxius, ut ad e-
jus nutum omnia gerat, & cuncta illius dicta fa-
ctave tanquam ab Oraculo Apollinis profecta u-
nicè æstimet: quin potius meliorem ex multis sen-
tentiis amplectatur.*

Semper unius aut alterius sententiam optimam judicare & eandem sequi, valde periculosum est: variæ enim & flexibiles hominum sunt voluntates, nec omnibus horis vigilat aut sapit Homerus, sed & interdum dormitat & errat. Nihil ergo monstrosius, quàm Principem, qui omnibus imperat, pati ab uno sibi imperari, cum fieri non possit, ut multorum gubernatio unius tantum officarii arbitrio nutuque rectè administretur *Guevar. lib. 3. cap. 58. Horq. Princ.* Quamobrem princeps suos consiliarios habeat æquales, alioquin si unum plus quàm cæteros amare videatur, cæteros odisse præsumitur, unde corruptio consiliariorum & reipubl. pernicies facilis. Ea enim natura hominum est, ut quilibet libenter favorem capet Principis, inde tandem reliqui verentur, ne hujus prædilecti sententiæ adversentur, sunt autem postea minus liberæ eorum voces in consulendo. Prudenter itaq; Antimachiavellus *lib. 1. de regno administr. theorem. 2. in fin. & seq.* Cui malo inquit, ut obviam eatur, præceptum imprimis *Comminæ lib. 2. cap. 27. & lib. 4. cap. 44.* sequendum esse censeo: ut scilicet *Princeps plures in consilio habeat, neq; uni rerum summam committat, tum ut amicos pari jure ac dignitate quoad ejus fieri possit, contineat. Si quem enim honore super alios extulerit, is in cæteros imperium usurpabit, cæteris vel liberè sententiæ dicendæ potestas non erit, vel studio & indicio ejus animadverso, ultrò ei assentientur, seu quod magnæ sit authoritatis, quodam veluti præjudicio decepti, sive quod & ipsi placere student & gratificari, quem vident illustri in loco positum. vid. Althus. c. 27. Pol. n. 51. 62. & 74.* Quod si verò uni ex consiliariis potissimum faveat, aut quem præ aliis æstimet, id ne præ se ferat, sed ita potius se componat, ut videatur omnibus æq; favere illisq; benè cupere. *Hænonius, diss. pol. 4. th. 5.*

THES.

THE S. XII.

*Consiliarios suos indistinctè audiat, nec afficiat premiis (a)
eum, cujus fortasse consilia benè ceciderunt, nec pœnam (b)
constituat illi, cujus consiliis non respondit eventus.*

(a) *Lips. lib. 3. civ. doct. c. 8.* Hoc nisi probè observetur, facile quis spe munerum illectus, à verò deflectere potest, & postea ad placitum Principis quælibet flectere: Occæcant enim munerera & sapientum oculos, ne possint judicare quid verum, quid justum sit. Hinc tandem fit, ut sub boni consilarii specie irrepant adulatorces, qui quàm perniciosi sint reip. jam tùm supra diximus.

(b) Si malè suavisse cum periculo sit conjunctum, profectò defuturi sunt, qui suadent, quis enim consilium dare, aut consilarii munus hoc pacto suscipere audebit? Cum eventus consiliorum non sit in nostra potestate, & possint interdum optimè cogitata pessimè cadere: Consiliarius fidem quidem præstare tenetur non verò eventum. *Cic. ad Att. lib. 16. epist. 7.* Præclarè usurpatum illud ab *Hœnonio d. l.* Laudanda sunt magis consilia cauta cum ratione, etiamsi non succedant, quàm fausta eventu quidem, sed temeraria & ratione carentia.

THE S. XIII.

Cum Princeps ad Imperium recens evehitur, Antecessoris consiliarios non temerè ab officio removeat, præsertim si fidos & probos eos esse, constet.

Cautè hic Principi agendum, ne temerè mutationem instituat, quæ semper periculosa habetur, sed potius prædecessoris sui consiliarios cum aliis admittat, nisi fortè nimis sint suspecti, & apertorum scelerum convicti. Enimverò multa ab his tanquam in publicis reipubl. negotiis plurimùm versatis discere habet, quæ regimini apprimè non minus utilia, quam necessaria sunt. Si igitur dimittuntur, arcana Principis revelant & vindictam moliuntur, ob remotionem, quæ ipsis ruborem infert. Sanè si Rhoboam consiliarios à patre sibi commendatos retinisset eorumq; consilia admisisset, tanta distractio regni Israelitici minimè consecuta fuisset, Vid. hac de re Schönb. *lib. 3. Pol. c. 22.* Atq; tantum de consiliariis.

COROLLARIA.

An filius in Magistratu constitutus patri privato sit præferendus? *A.*

Ethica traditur ordine Analytico.

In Ethicis dantur demonstrationes.

F I N I S.

00 A 6456

ULB Halle

3


002 929 244




R

Worm







POLITICA ³¹

ARIIS,

D.M. per quem
 consilarii justa
 ant.

Facultate Philosophicā


SIDIO
 RISSIMI

NI CRÜGERI,
 oris Ordinarii, Fautoris
 rimum honorandi

*nia Viadrina publico
 amini subjicit*

ANNUS Gartmann/
 Saxo A. & R.
 ano M DC LIII.

Majori horis consuetis.


 I RÖSNERI.

